

de l'écrivain, aurait besoin de se soutenir et devrait sans peine être saisie dans chaque détail. Or, on ne peut raisonnablement prétendre qu'il en soit ainsi dans le poème en question. Cela est vrai; mais qu'on essaie donc de nous expliquer verset par verset le chant de la vigne dégénérée ou l'histoire des deux jeunes femmes dans lesquelles ont été personnifiées les deux capitales de la Palestine. Ce serait une grave erreur de se représenter les personnages qui ont écrit la Bible comme des auteurs, ou ce que nous appelons aujourd'hui, dans une acception littéraire, des artistes. Peu leur importait la régularité du plan ou l'unité de composition. L'idée ou la passion du moment leur faisant oublier le but final, ils mêlaient sans scrupule le sens propre au sens figuré et le sens figuré au sens propre.

Le Cantique des cantiques nous en présente plus d'une preuve; car, je le répète, de nombreux passages de ce ravissant dialogue ne sont que des mots sans suite, si l'allégorie ne leur donne un sens. Tel est, par exemple, le portrait que fait la Sulamite de son bien-aimé: « Sa tête est de l'or pur; ses yeux sont des colombes qui se baignent dans le lait, posés sur les bords d'un vase plein...; ses mains sont des anneaux d'or émaillés de pierres de Tharsis; ses reins sont un chef-d'œuvre d'ivoire couvert de saphirs, etc. (1). » Telle est aussi la comparaison du nombril avec une coupe pleine de vin aromatisé, du ventre avec un morceau de froment entouré de lis. Je ne puis ni ne veux tout citer. Qu'il me suffise de remarquer que M. Renan lui-même a eu recours plus d'une fois à l'interprétation allégorique (2).

L'allégorie, c'est le génie même de l'Orient, c'est par-dessus tout celui de la Terre-Sainte. Qu'on joigne à ce trait de physionomie un autre signe distinctif de la race hébraïque: l'amour de Dieu exalté au point d'absorber toute la vie, de laisser son empreinte sur la forme des vêtements et sur les portes des maisons, de se mêler à toutes les images de la nature extérieure et d'appeler un grand fleuve, une haute montagne, un vent violent, *le fleuve de Dieu, la montagne de Dieu, le vent de Dieu*; d'arracher au psalmiste cet accent passionné: « Comme le cerf altéré soupire après les courants d'eau, ainsi mon âme soupire après toi, ô Seigneur; » de faire écrire par le législateur, en tête de son Code: « Tu aimeras à l'éprouvé, ton Dieu, de tout ton cœur, de toute ton âme et de toutes tes forces. » On comprendra alors que les passions profanes, que les transports de l'amour purement humain n'ont jamais pu, même un seul instant, occuper sans partage les écrivains et les poètes de cette nation, et qu'elle est beaucoup plus fondée qu'on ne pense la tradition qui compte le Cantique des cantiques parmi les livres saints.

AD. FRANCE.

(1) Ch. v, 10 seqq., traduit de M. Renan.
(2) Voy. pag. 169, 181, 182, 208, etc.

COMMENTARIA

IN

CANTICUM CANTICORUM

TERTIA PARS CANTICI,

SIVE

TERTIUS ACTUS DRAMATIS.

Sicut actu secundo, qui fuit a cap. 2, vers. 8, lucusque, Salomon descripsit Ecclesiam adolescentiam, sive incrementa et propagationem: sic hoc actu tertio, qui hinc incipit, et protenditur usque ad cap. v, vers. 2, describit ejusdem virilem etatem sive perfectionem, qua ad summum quasi fastigium, summaque culmen propecta et exaltata est. In hoc carmine, ait Titelmannus, quod ad finem usque capituli perdurat, Spiritus Sanctus loquitur, misericordie commendat Ecclesiam pulchritudinem sub diversis comparationibus. Primo quidem, sub similitudine mulieris speciosa, cum magna gloria sursum ascendens in magna odoramentorum fragrantia. Secundo, sub similitudine pretiosi lectuli regis Salomonis, fortissimorum virorum semper miniti presentia. Tertio, sub comparatione pulcherrima, aspectuque jucundissimi ferculi, sive vehiculi regii. Post qua deinde spiritus idem filia, Jerusalem, puta fideles animas, ad sponsi debitum cultum concludendo exhortatur, dicens: Egredivimini, filie Sion, et videte regem Salomonem. Vide dicta in Proemio, cap. III.

VOX SYNAGOGÆ

PRIMITUS AD CHRISTUM CONVERSA,

De ecclesia gentium.

VERS. 6. QUE EST ISTA, QUE ASCENDIT PER DESERTUM, SICUT VIRGULA FUMI, EX AROMATIBUS MYRRHÆ, ET THURIS, ET UNIVERSI PULVERIS PIGMENTARII?

QUE EST ISTA, QUE ASCENDIT PER DESERTUM (SYRUS et Arabicus, ex deserto), SICUT VIRGULA FUMI EX AROMATIBUS MYRRHÆ, ET THURIS, ET UNIVERSI PULVERIS PIGMENTARII? — puta aromatarii sive apothecarii, qui aromata in pulverem redigunt, commiscet, componit, etc.

Quoad speciem dramatis, introducitur hic Sulamitis, sive sponsa Salomonis statura procerca, decore ac magnificentia incedens, atque ex deserto, id est, ex rure et agro suburbano ascendens ad sponsum Salomonem, residentem in Jerusalem et regia Salomonis, q. d. Que est ista virgo rusticana, que evecta ad thalamum regium ita splendide incedit? hinc ipsa comparatur virgule fumi aromatum, qui recta ascendit in altum, et suavem exspirat

odoreum; quare illam videntes, illicque obviantes, decorum et magnificentum ejus incensum admirantes, inter se querunt et exclamant: « Que est ista que ascendit, » etc. q. d. Undenam tante in deserto deliciae? unde tantus in rustica et alienigena puella decor et majestas? qui crescit ut virgula fumi; quia quo magis in altum vapor fumi aromatum ascendit, eo magis eorum fragrantia percipitur.

Pro virgula, hebraice est תְּמִירֹת *temiroth* (que vox tantum hic reperitur, et Joelis cap. II, 30, ubi Noster et Septuaginta vertunt, *vaporem*), id est *palmas*, sed artificiales, uti sunt similitudinarie et explicitæ. Fumus enim recta ascendens similis est palmæ, que ex variis ramis coalescens et compacta, arborum omnium est rectissima, densissima et pulcherrima; superne enim ramos circumquaque late diffundit, hinc quasi coma cingitur et coronatur: similis autem modo fumus ex variis aromatibus exhalans coalescit, et in altum scandit rectissime, densissime et pulcherrime, ac superne in varias partes quasi ramos se secans, et in plures quasi vaporum globos sese agglomerans, his quasi coma variegata ornatur et circum-

voluitur. Unde rabbinii et Pagninus vertunt, *quis est ista qui ascendit sicut columba fumi sursum ascendens sicut palma?* Aquila apud Theodoretum, *sicut similitudo fumi*; Symmachus, *tanquam incensum evaporato*; Septuaginta *ὡς ἄσπερος*; *zaviv*, id est sicut triticum; *vel stipites, aut virgula fumi*. Mirum est ergo S. Ambrosium, *epist.* 62, legere, *sicut vitis propagata*. Noster apte vertit, *virgula, quia hebraeorum temetipso est diminutivum* תרבה *thamar*, id est *palma*; *temetipso ergo est palmeta, sive parva palma, aut virgula similis palmulae*. Syrus, *sicut incensum fumi*; Arabicus, *quasi thurificata ranis tharis*.

Rursum pro *ex aromatibus*, Noster cum Symmacho legit מיקטורת *miketoret*, id est *ex incenso*, ex suffimento, vel suffitu et thymiamate, quod fit ex aromatibus; jam alii punctis legunt מיקרת *mikert*, id est *incensum*, vel *suffumigata*; sed eodem redit sensus. Quocirca Septuaginta vertunt, *quis est ista que ascendit a deserto tanquam truncus fumi evaporato myrrham et thuris, ex omnibus pulveribus unguentarii?* Aquila, *sicut similitudo fumi ex suffumigato myrrham et thuris, etc.* S. Ambrosius, *epist.* 62, *sicut vitis propagata fumo incensa, odorficata myrrha et thure ab omnibus pulveribus unguentarii*.

Grammaticalis ergo corticis littero sensus est, *q. d.* Obvians sponsae, eamque admirantes dixerunt: *Quae est ista sponsa protera et decora, tam magnifice per agrum incedens versus Jerusalem, ac suavissimum odorem exspirans?* quo enim magis incedendo ascendit, eo prociarum apparet, ac suaviorem myrrham, thuris caeterorumque aromatum exhalat odorem, adeoque persimilis videtur virgulae, sive columellae fumi, quae instar palmae recta ascendunt in altum, ac gratissimum myrrhae, thuris et aromatum (ex quibus in pulverem redactis commistae et confusae sunt) igne incensorem halitum exspirant, et omnibus quibusque aspirant.

Chaldaeus de more haec de Synagoga accipit typice; nam Synagoga typus fuit Ecclesiae: «Quando, inquit, ascenderunt filii Israel de deserto, et transierunt Jordanem cum Josue filio Nuri, dixerunt populi terrae: *Quae est ista gens electa, quae ascendit de deserto, suffumigata ab incenso aromatum, et adjecta propter meritum Abraham, qui servivit et oravit coram Domino in monte Moriah, et extarsa oleo unctionis propter justitiam Isaac, qui ligatus fuit in domo vincularum, qui vocatus est mons thuris, et fuit ei miracula propter misericordiam Jacob, cum quo luctatus est usque ad ascensum aurora, et prevaluit illi, et liberatus est ipse, et duodecim tribus ejus.*»

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Primitiva Ecclesia ex apostolis caeterisque Judaeis in Sion et Jerusalem collecta, audita S. Cor-

nelli per S. Petrum, ac gentium per S. Paulum et Barnabam conversione, admirans exclamavit: «*Quae est ista*» nova et bella Ecclesia, ex deserto gentilissimi tenuiter et gracilliter ascendens sicut virgula fumi, sed ex continua fumi ascensione sursum agglomerans sese in magnam crescit amplitudinem, atque suavissimum virtutum exspirat odorem? Spirat enim *thura*, id est Christi delicta: credit enim Christum esse Deum, illicque *thura*, id est sacrificia et divinos offert honores; ac *myrrham* humanitatis et passionis Christi: credit enim Christum Deum pro nobis assumpsisse humanam naturam, in eaque passum, crucifixum, mortuum et sepultum; ac *universum pulverem pigmentarium*, id est reliquam doctrinam evangelicam praedicationis exhalat, et quaeversum diffundit. Ita Philo Carpathius, Justus Origelianus, Theodoretus, Aponius, Beda et Anselmus qui censent haec esse verba fidelium primitivae Ecclesiae, licet Rupertus censent haec esse verba sponsi Christi, Cassiodorus vero esse sodalium sponsi. Audi Theodoretum: «*Non immerito anima pia similis dicitur fumo suffumigati, quae, ut Apostolus ait, membra sua constituit hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; dicitur autem redolere myrrham, thuris, ex universis pulveribus pigmentarii, quia Christi humanitatem per myrrham designatam, et divinitatem significatam per thuris adorat, sponsique tum mortem credit, tum essentiam sempiternam confitetur, sicutque ex universis pulveribus pigmentarii myrrham et thuris ipsius admirari angelos sanctos; quoniam etsi ea habeat alias virtutes, ex divina Scriptura tanquam ex pigmentarii officina depromptas, in ipsa tamen excellit myrrha et thus, id est sponsi divinitatis, et humanitatis cognitio.*»

Rursum Ecclesia spirat *thura*, quia orationi est dedita; et *myrrham*, quia subdit modificationem affectuum, ut veterem Adam exuat, et novum induat, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, *Ephes.* iv, 24; ac *universum pulverem pigmentarium*, id est humilitatem, obedientiam, eleemosynam, caeterasque virtutes, quae comites, imo filiae sunt orationis et mortificationis. Sicut enim aromata contrita et in pulverem contusa igneum, quem in se concludunt, halitum exhalantes, suaviorem exspirant odorem: sic et virtutes per humilitatem quas comminute et contrita suavius Deo et hominibus credolent. Ita S. Gregorius, Beda, Aponius et caeteri, ac S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. v.

Illic sensus liquet ex eventu «*hujus*» historice narrat S. Lucas, *Actor.* x, 48 et seq., ubi fideles Iudaei audientes gentium conversionem, admirantes exclamaverunt: «*Quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.*» Ergo et gentibus dedit Deus penitentiam ad vitam. Item ex eo quod de hac conversione gentium praedixit Isaias, cap. *xxv*, vers. 1: «*Laetabitur deserta et inopia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Ger-*

minans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.» Et cap. *xv*, vers. 18: «*Aperiam in supinis collibus lumbica, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram iniviam in rivos aquarum. Dabo in solitudine cedrum, et spinam, et myrrum, et lignum olive: ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul.*» Et cap. *xliii*, vers. 19: «*Ego ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, et in inivio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inivio, ut darem potum populo meo, electo meo.*» Vidi ibi dicta. Hoc est quod admiratur Apostolus, *Ephes.* ii, 11: «*Quod aliquando, inquit, vos gentes in carne, etc. Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.*» Imo cadentibus a fide Judaeis, in Ecclesiam subrogatae sunt gentes: quod obstupescens Apostolus exclamat, *Rom.* xi, 33: «*O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus!*»

Nota, conversio gentium fuit admirabilis respectu omnium causarum: *primo* materialis, quia conversi fuerunt homines superbi, carnales, ferri, barbari, et inepti ad disciplinam Christi; *secundo* formalis, quia conversio et sanctitas christiana consistit in mortificatione passionum, in humilitate, in castitate, in patientia, in amore inimicorum, et similibus, quae natura corrupta repugnant; *tertio* officieuses, quia facta est ab apostolis, qui erant piscatores, pauperes, viles, rudes, illiterati, infamandi, ut docet Apostolus, *I Cor.* i, 21; *quarto* finalis, quia finem habet gloriam, non terrenam, sed caelestem: unde contra naturam quasi in caelum conscendere debet. Hinc

Dicit *ascendit, primo*, quia sicut vapor fumi turrescit, vel palustris radiis solis excitatus de deserto ascendit in altum, sic et deserta gentilitate, radiis gratiae Christi excitatus ascendit suavissimus vapor et odor contritionis, orationis et caeterarum virtutum. *Secundo*, quia Christus ascendens in caelum post se trahit Ecclesiam, ut mentem et cor transferat ad superna, ac per caelestem gloriam; unde ait Apostolus: Nos «*concedere fecit in caelestibus in Christo Jesu.*» *Ephes.* cap. ii, vers. 6. Quocirca Ecclesia non tantum triumphans, sed et militans vocatur *caelestis*, imo *caelum*, et caelo a Deo vocatur ad vitam caelestem, ipsamque caelum, juxta illud, *Apocal.* cap. *xxi*, vers. 2: «*Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de caelo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatum viro suo.*» Qua de

causa caelus gentium hic de deserto idololatriae gentilissimi ascendere dicitur ad Ecclesiam militantem Christi, utpote vocacione altam, et doctrina vitaeque caelestem. *Tertio*, quia allicitur ad ascensum et iter Hebraeorum ex deserto Arabiae, duce Moyses in Sion et Jerusalem, praevia columna ignis et nubis; hic enim erat typus Ecclesiae gentium ex deserto infidelitatis ascensus: ad primitivam Ecclesiam apostolorum, et fidelium ex Judaeis conversorum in Jerusalem et Judaea.

Sensus ergo est, quem patheticè exprimit Cosmas florentinus, *q. d.* Primitiva Ecclesia, id est primitivae fideles a Judaeis conversi, Paulo et Barnaba convertentibus gentes ad Christum, *Actor.* *xiii*, 48. Quid est, o Paule et Barnaba, quod ego de deserto gentium surgere video? quae est ista nova sponsa, quam vos pronubi ex desertis gentibus ascitam in sponsi meo thalamum inducitis tantopere suffumigatam, myrrhae et thuris omniumque aromatum unguentarii arte contritorum: ac commissorum suffitum spirantem, ut qui ex ea exhalat vapor, virgulam primum, deinde in altum se agglomerans altissimas palmas et cedubus referre videatur? nimirum propter assiduas orationes et omnis generis pia opera, quae ex fide et charitate qua ipsa tota ardet, cum procedat, velut suavissimi holocausti nidores, usque in Dei conspectum in caelum continenti caligine sese attollunt, ac sponsum meum vehementer oblectant. Quis unquam credidisset tantam gentium multitudinem olim Christi ingranam, a republica israelitica alienam, testamentorum promissionis extraneam, omni spe et vel ipso Deo carentem, nunc civitatis Dei jure esse donatam, quin et repudiatam Synagoga matris, Christi sponsi mei conjugio nobilitatam? Admirabantur olim, et stupebant plures gentes chanaanicae, cum viderent majores nostros de deserto Arabiae ascendere, et procedente eos columna fumae, interdum et ignea de nocte in suas invadere possessiones. Jam nunc vicissim mirantur Judaei, gentes o deserto infidelitatis ascendere, et fidei ac charitatis suae caliginosum, suavissimeque oleentem fumum inter palmarum et columnarum aromaticarum sursum spirantes, in regnum evangelicum genti nostrae hereditarium irrumperet. Sed quas vobis doctibus, intelligo coheredes mihi, et corporales, ac comparticipes suae promissionis, a Deo electas, civitatem nostram, omnesque fortunas cum ipsis libens communico. Quis video virgines animas fide, charitate, et consummata justitia mihi propositas, et ad ipsum (ut Regium vatem memini praedicere) adductas esse, in communem thalamum laetabunda et praegaudia gestiens admittit.

Symbolica, tres Anonymi apud Theodoretum sic explanant: «*Quenam est ista quae ex habitu a perturbationibus remoto per virtutem et scientiam ad Deum sublata conscendit, velut surculus fumi, qui ab igne sylvam depresso leviss in aera*

toltilit. Sic enim anima spiritu succensa, per actionem quidem carnis crassitudinem, per contemplationem autem rerum species extenuans, prohibet moribus, tum sermonibus levis ad Deum fertur, nec terreno pondere deprimitur. Hac ratione myrrham et thus ex aromatibus, atque universo pulvere pigmentarii redolens, ad celestem sponsum provehitur. » Singula deinde singulis ita adaptant : « Virtute igitur quasi myrrha, cum carnis sensum mortificat, fragrat; scientia vero quasi thus, tanquam veritatis notis, seipsam divinam imaginem ostendit. Ita rerum naturas pertransiens, suaviter cedit ad earumque tendit auctorem; ex quibus instar pulveris earum rationes et modi excitantur ei, attenuante his veritatis semitis exploratioribus accurato sermone, qui totum hoc tanquam in igne spiritus excoquit. »

ET UNIVERSI PULVERIS PIGMENTARI.

Id est omnium virtutum, quæ in singulis fidelibus resplendent : « quia sicut multa, inquit Apollinis, suavissimi odoris aromata in unum pulverem redacta, ad delicias regum a pigmentarii aromata preparantur; et dum sunt multa in unum corpus collecta, una magni odoris virgula, vaporata ignibus redditur : ita unanimitate multorum populorum confessio recte fidei et rationum unum suavitatis odorem in conspectu Dei reddere demonstratur, velut pigmentarii rationalis, congregat sensus celestia aromata. »

Quocirca primo, Ecclesia omnibus se spectandam vel noscendam exhibens, suo splendore omnes gentes ad se invitavit et attraxit; hinc comparatur fumo aromatum odoratorum : fumus enim ascendens in omnium, qui oculos habent apertos, aspectum incurrit; odor vero in nares eorum qui cæci sunt, vel oculos habent clausos. Secundo, varietas hæc odoris, id est fame omnium virtutum, omnes sibi conciliavit. Alius enim trahitur odore castitatis, alius alterius virtutis. Audi Bedam : « Ecclesia ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus, etc., quia una ex multis personis fidelibus construitur : quia diversis floride virtutibus quedam instar myrrhe amplius mortificandis carnis voluptatibus insistent; quedam ad figuram thuris peculiaribus crebris orationibus vacant; alie aliis bonorum operum fructibus desudant, quasi tamen omnes igne spiritus inflammate, quasi una virgula ignis indiserit per omnia studio, ac devotione communi vite celestis alta requirunt. »

Tertio, S. Anselmus per pigmentum accipit virtutes; per pulverem humilitatem, quia ut virtutes Deo et hominibus placeant, debent humilitate ornari, ut homo seipsum quasi in pulverem redigat, sequi nihil esse nihilque posse reputat.

Quarto, S. Gregorius, hom. 22 in Ezech., et Cassiodorus per pulverem et pulverisationem aromatum accipiunt subtile examen operum : quia, inquit Cassiodorus, sanctorum actiones magna discretione considerandæ sunt, et tanquam cribro

subtillissime considerationis eventilandæ, ne quia forte in illis durum resideat.

Porro S. Ambrosius, pro sicut virgula fumi, legit sicut vitis propago, quod licet ab Hebræo et Græco dissonet, commodum tamen habet sensum. Ecclesia enim gentium quasi palmas inserat, gratiam, sanctitatem, sapientiam, spiritum haurit, sicut palmas omnem suam vim et succum haurit a vite. Rursum etsi palmas aliquid e terra necessario capit, illud tamen non sinit vastum atque immundum, quale terrenum est, sed per vitis radices extenuatum prius atque purgatum, et in aliam quandam puriorem naturam ante conversum.

Sic Ecclesia omnem cibi, potus, vestis et rerum terrenarum usum per gratiam Christi emundat, expolit et perficit, ut ab iis non polluat, sed sanctificetur, nec terrestris, sed celestis evadat; quia omnibus iis utitur non ad gustum, sed ad Dei gloriam, et suam alicorum salutem iuxta legem et voluntatem Dei. Hoc est quod ait Christus : « Sicut palmas non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potest facere, » Joan. xiii, 4. Audi S. Ambrosium, lib. De Isaac, cap. v : « Que est ista que, cum ante in inferno derelinquebatur, nunc inheret Dei Verbo; que per desertum, nimirum per hunc terræ locum incolunt sentibus, et spinis nostrorum obsitum delictorum, ascendit sicut vitis propago in superiora se subrigens, velut fumus patens ex igne atque alta petens? hinc præterea bonis operibus fragrat, odor autem ille orationis pie redoleat suavitatem, que tanquam suave pis præcisionis fragrat unguentum; quia de æternorum et invisibilium, non de corporalium petitione compositum est; præcipue tamen myrrham redolet et thus, eo quod peccatis morbida sit et Deo vivat. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima tendente ad perfectionem.

Angeli, inquit Nyssenus, Theodoretus, S. Ambrosius alique, et homines talem animam cernentes, quasi admirantes dicunt : Quænam est ista, quam strenua, quam fortis, que cum de secunde debet, eo quod ex Ade terra compacta est, originisque pondere per lina scelerum præceptum se dedit, nunc vi nova planeque infra in virtutis ardua conscendit? Ascendit, inquam, de deserto mundi, ubi solitudo est virtutis et sanctitatis, ubi inter homines animales et crassos, qui nil nisi terrena cogitant et sapiunt, ac inter dracones, id est demones, periculose degit et vivit, quos omnes prætergressa, sola in altum perfectionis culmen animose scandit. Persimilis

est virgula fumi ex myrrhæ thurisque aromate, igne adusto exurgenti; nam mortificationis amarulenta myrrha, et orationis thus traditum divini amoris incendio, sursum fertur, et ut virga quedam directionis, igneo charitatis motu in Deum extenditur : mortificatio enim carnis pondus, quod mentem degravat, extenuat; oratio vero que sponte sua fertur sursum, est spiritualis levitas, qua mens hiat in superna : hisce ergo duabus quasi levitalis alis anima vehitur sursum.

Et universi pulveris pigmentarii, quia Deus velut scientissimus pigmentarius animam piam tentationibus, tribulationibus, morbis, persecutionibus, quasi malleis conterit, humiliat et quasi in pulveres redigit, ut ejus patientiam et virtutes probet, acuat et perficiat; hæc enim tot ærumnis quasi attrita, dum ab igne charitatis corripuntur et suavius fragrant, et reclusus in Deum instar virgule fumi foruntur; penetrat enim eas trilas ignis facilius, et in subliorem quandam naturam concurret, sicut odorati pastilli priusquam acerris vel thuribus injiciantur, solent conterri, ac in pulverem redacti prunis injiciuntur, ut ciliis excitetur fumus, ocusque exspiret suavis illa fragrantia, que naris hauriatur. Ita S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Philo, Joannes Carmelita et ceteri. Audi S. Gregorium : « In deserto anima sancta vivit, dum regno exsul, inter bestias, demones videlicet, degit. Hic enim etsi non omnino a sponso deserit, tamen dum in carne est, nondum ad certam ejus visionem admittitur, dum ab eo per exsilia et tentationes peregrinatur; quia dum adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem valde diligit, magis ac magis sentiat; quatenus quoniam perfecte cum in deserto non tenet, vel ipso ejus desiderio se reficiat, ut sic in via roborata, quandoque ad hoc quod diu concupivit, perveniat. »

Subdit deinde post nonnulla Gregorius : « Bene autem sicut virgula fumi ascendere dicantur, quia et odorem bone fame et subtilitatem mentis habere dicuntur. » Mox dat causam cur fumus hic myrrhæ et thuris sit : « Myrrha quippe mortuorum corpora conduntur ne putrescant, thura vero acenduntur ut redolent. Per myrrham ergo carnis mortificationem designatur : per thus vero orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima, dum carnem suam a putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham mortuo corpori adhibet, ut post judicium a corruptione eterna sanum permaneat. Cum vero se ad celestia majori desiderio accendit, et a cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abijcit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit, in quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbo in thuribulo captat, in quo seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes et mundas orationes ad Deum immittit,

quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto suavè redoleat, et proximis ad ejus amorem conciet. »

Denique notat Gregorius dici pulverem pigmentarii, non pigmentum, causamque subjicit : « Pigmentum quippe facimus, quando virtutes congregamus in corde. Quando vero ipsas nostras virtutes per singula queque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat; tunc procul dubio unguenta virtutum quasi in pulverem tundimus, ut eo mundiora sint opera nostra, quo subtilius ea ab omni subreptione vitiorum discernere non cessamus. Hujuscemodi mentes dilecto suo delectabiles se per ejus gratiam faciunt, et dum ab omni mundano strepitu se dividunt, locum in quo sponsus requiescat in seipsis component. » Igitur anima sancta se in holocaustum offerens Deo per orationem quasi thus, et per mortificationem quasi myrrham, et per omnem pulverem pigmentarium, id est per elemosynam et quamlibet aliam virtutem charitatis igne succensam, recta ascendit ad Deum, illique fragrantissimum thymiana exhalat in odorem suavitatis, quo oblectatur et pascor Deus.

Porro per desertum, primo notat mundum et mundanos. Primo, quia, ut ait Richardus de S. Victore, mundus sterilis est et aresecit, nec fructum habet; quia non novit Christum, nec Spiritum Sanctum potest accipere. Secundo, quia, ut idem addit, amatores ejus deserti sunt, quia deseruntur a Deo, et quia ipsum deserunt Deum. Sicque per desertum istud ascendit pia anima, quatenus a malorum consortio se segregat, et ad honos dilectionis transit, eosque imitatur, quatenus inter desertos a gratia, et inter descendentes proficit. Tertio, quia, ut idem addit, seipsum (et sui amatores) deserit et in se deficit; quotidie enim cum tempore gaudia temporis transiunt, et quot dies, tot gaudia dierum prætereunt. Unde cum gaudia ista anima perfecta contemnit, et ad supernum et verum gaudium tendit, per desertum ascendit. Hugo vero de S. Victore : « Mundus, ait, est desertum propter copiam malorum et inopiam bonorum. » Rursum cor pravum ait esse desertum, quia culturam non habet, et germinat noxia, et in eo bestie habitant. Unde S. Bernardus, serm. 59 ex parvis : « Ascendit, inquit, anima penitens per desertum, terram scilicet iniviam et iniquosam, peccatorum suorum recordando. »

Secundo, per desertum Rupertus accipit vitam solitariam, Beda, conversionem sanctam : « Que a mundi illecebris separata, Dei tantum legi scrutande, et celestium præceptorum sit observationi dedita, que emiens et vitans justitiam manna solummodo verbi celestis vescatur, et fonte vite, qui de spiritali petra emanat, potetur, juxta illud : Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. In terra deserti, et iniviam, et iniquosam :

sic in sancto apparui tibi, » *Psalm. LXII. 2.* Qualis est vita religiosorum.

Tertio, Hugo Victorinus, lib. I *Erudit. Theol.* cap. II : « Desertum, inquit, est cor bonum, quia longe est a strepitu et tumultu, et non concutatur frequentia terrenarum actionum et cogitationum, sed virens permanens, et floridum, germina virtutum producit, et canit ibi turtur Spiritus Sanctus; et non auditur vox hominis, neque ad hominem pertinens. »

Unde S. Ansermus notat sponsam in lecto dormire, ut liquet ex versu preced., et simul dormiendo ascendere : quia, inquit, uno eodemque tempore et soporatur et ascendit, cum ab exterioribus curis desiderisque carnalibus anima se, quantum valet, alienat, et bonæ operationis seu cogitationis profectibus ad visionem sui Conditoris appropriat. Ita ipse : sed verius est altum hic esse actum scientie, quo sponsa vigilans inducitur quasi ascendens, uti dixi.

Quarto, Rupertus et S. Bernardus, lib. *Sententiarum*, per desertum accipiunt simplicitatem et humilitatem Christianam, quia ipsa a multis deseritur : « Quia nullus fere est imitator Christi, qui studeat bonum istud operari. Per hoc desertum necessesse est ut ascendamus sicut virgula fumi ex aromatis, cum virtutum studio et disciplina excitati, proximos nostros ad bene agendi similitudinem incitamus. » Hæc illi.

Anagoge, S. Ambrosius in *Eod. cap. XVI*, sic legit sicque explicat : « Quæ est ista quæ ascendit a deserto sicut vitis propago, fumo incensa, odorificata myrrha et thure ab omnibus pulveribus unguenti? Emole, inquit, et tu fidem tuam, ut sis sicut illa anima, quæ Christi in se charitatem excitat, quam mirantur ascendentes virtutes colorum, quod sine offensione ascendat cum lætitia et iucunditate, sicut vitis propago, et sicut fumus se ad superna subrigat, fragrans odorem resurrectionis pie, et suavitatem fidei. Pulchre autem subtilitatem ejus expressit pulveris comparatione et unguenti commemoratione, quia in Exodo subtile legitur ex multis compositum thymiana, *Exod. xxx, 35* : illud vero est incensum propheticum, quod est sanctorum oratio, ut dirigitur in conspectu Domini, sicut et David dicit : Dirigitur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, » *Psalm. CXXI, 2.*

Quæres quid symbolice significet virgula fumi ex aromatis myrrhæ, thuris, etc.

Primo, Richardus de S. Victore per virgulam fumi accipit humilitatem, quæ ascendit, quia sola sui cultores exalbat. Sponsus ergo non virgo, sed virgule tenui assimilatur, ut velocitas ascendendi notetur : « Virgule enim, inquit, quæ crescendo grossantur, non nimis in altum deuntur, sed virgule, quæ velocius et sursam crescant, subtiliores et minores sunt. » Huc facit, quod balsamum, qui est odoratissimus liquor et præstantissimus (sicut ex certa nobis relatione illorum con-

stat, inquit Tietmannus, qui insignem illum balsami hortum, unicum in toto orbe apud Cayrum in Matharæa viderunt) non ex arboribus colligitur, sed quasi virgulis quibusdam sive viminiibus, ad eum fere modum, quo apud nos illa crescant vimina, in quibus uvæ crescant, quas S. Joannis appellamus. In eodem quoque horto alia plurima aromata colliguntur potius ex herbis aut viminibus, quæ annuam requirunt culturam, quam ex amplis latisque arboribus.

Hæc omnia designant Deum per humilia et humiles magna et præstantia operari, in operibus tum nature, tum potius gratiæ.

Secundo, Cassiodorus : Anima sancta, ait, vocatur virgula fumi, quia gracilis est et delicata, disciplinis Spiritus Sancti attenuata, subtilis, non habens grossitudinem carnalium desideriorum. Sic et S. Gregorius. Figo animapia recta esse debet et subtilis, ut in colorem sese porrigat et extendat : « Sicut virgula recta est et gracilis, in longum porrecta, » ait Ilango de S. Victore, lib. II *Erudit. Theol.* cap. ex : quia tantum sursum tendit, recta esse debet, et quia areta est via, gracilis, et quia longa, porrecta. Item non est virgula ligni insensibilis et duri, sed fumi, qui speciem habet, substantiam non habet. Cum enim cernitur, aliquid esse videtur; cum manus apponitur, nihil invenitur. Sic bonus quisque hic esse videtur per carnis speciem, sed hic non est per dilectionem. Item fumus de igne ascendit, quia desiderium ex amore venit. Et quia fumus? ex aromatis myrrhæ. Pigmentarius est Christus, pigmenta virtutes, myrrha mortificatio carnis, thuris mentis devotio; universus pulvis pigmentarii, virtutum omnium multitudo. »

Tertio, S. Bernardus, *serm. 59* inter parvos, hæc accipit de ascensu anime peccatrici per penitentiam : « Ascendit, inquit, anima poenitens per desertum, peccatorum suorum recordando. Ascendit sicut virgula eadem peccata humiliter confitendo. Quæ confessio recte fieri sicut virgula fumi dicitur, quia per plures peccatorum species, tanquam fumus de thuribulo per plura foramina derivatur. Et notandum quod, cum fumus nunquam habeat splendorem, nonnunquam tamen habere possit odorem. Quod hic fumus confessionis odorem quandam pietatis habet, inaudit ex his quæ subjunguntur : Ex aromatis myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Confessionem debet semper comitari myrrha et thuris, id est mortificatio carnis, et oratio cordis : alterum enim sine altero aut parum, aut nihil prodest. Nam, qui carnem mortificat et orare dissimulat, superbus est. » Et paucis interjectis subjicit : « Et universi pulveris pigmentarii. Post recordationem et confessionem peccatorum, post mortificationem et orationem exhibendus est fructus elemosynarum. Quæ bene pulveris dicuntur, quia de terrena substantia sunt; pigmentarius vero, quia suavissimum odorem emittunt. Hinc est

quod Cornelio bene agenti dictum est : Orationes tuæ et elemosynæ tuæ ascendent. Vel universi pulveris pigmentarii ideo dicitur, quia non solum magna, sed etiam minima quæque peccata confertenda sunt per confessionem, et diluenda per compunctionem. »

Quarto et aptissime, S. Gregorius, Justus, Philo, Aponius, Beda et alii per virgulam fumi accipiunt animam ad celestia anhælantem. Verba S. Gregorii in hunc locum superius recitavi. Audi nunc undem, homil. 22 in *Ezech.* sub finem : « Transcendemus per desertum omnia, ut monte colligamus in unum. Non jam timore penarum, non memoria vitiorum, sed amoris flamma succensi, ardeamus in lacrymis cum odore virtutum. » Causam subdit : « Sancta quippe electorum Ecclesia, cum ab hoc mundo in sanctis precibus ardenti amore se erigit, per desertum, quod deserit, ascendit; qualiter vero ascendat, adjungit : Sicut virgula fumi ex aromatis. Fumus de incenso nascitur, quod orationem designat; fumus excutere lacrymas solet. Itaque fumus ex aromatis, compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris, quæ tamen oratio fumi virgula dicitur; quia dum sola celestia postulat, sic recta progreditur, ut ad terrena ac temporalia appetenda pro terreno studio minime reflectatur. Virgula autem et non virga nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore tante subtilitatis æstuat vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere, quia illuminatus meruit habere. Bene vero additur myrrhæ et thuris : myrrhæ enim et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem mortificant, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt; myrrham, quia se cruciant, et cruciando a vitis conservant; thur vero, quia Dei visionem diligunt, ad quam pervenire medullitus exardescunt, sequæ ipsos et in sanctis virtutibus exhibent. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Rupertus censet hæc esse verba Christi, humilitatem B. Virginis admirantis et celebrantis, *g. d.* Tu dicis (sicut Abraham) : Pulvis sum terre, quem ventus dispergit, aura tollit; et ille dicit : Non, sed pulvis pigmentarius, sive pulvis pigmentarii, pulvis myrrhæ et thuris, quem pigmentarius Spiritus Sanctus conficit ex optimo thure, quod est suavitas mentis; et ex myrrha probatissima, quod est mortificatio sive incorruptio carnis. Tu dicis : Fumus ego sum teter coram divinis oculis, qualis de camino sive de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit; et ille dicit : Non, sed fumus ex aromatis myrrhæ et thuris, quem docet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum, usque ad os et olfactum Domini. Talis fumus, imo talis fumi virgula,

tu, o beata Maria, suavem odorem spirasti Altissimo, celestibus disciplinis erudita atque extenuata; talis ascendisti per desertum, id est animam habens valde solitariam. Hæc pene ad verbum Rupertus. Porro B. Virgo ascendit sicut virgula fumi myrrhæ, thuris et universi pulveris pigmentarii : quia quotidie per actus plurimos, habitibus suæ gratiæ et virtutum adequatis (ipsa enim ex æquo cooperabatur gratiæ divine, ut cum haberet gratiæ gradus intensos et centum, eliciebat alios intensos et centum, itaque merebatur alios centum gradus, idque assidue semper duplici modo), mirifice crescebat et proficiebat in mortificatione, in oratione, cæterisque virtutibus, præsertim in humilitate, quam representat pulvis pigmentarii, ita ut in fine vite gratia et meritis longe superaret omnes homines et angelos, etiam cherubinos et seraphinos collectos et simul sumptos, uti docent Franciscus Suarez et alii.

Rorsum S. Hieronymus, tom. IX, *epist. 10 ad Paulam et Eustochium, de Assumptione B. Virginis*, hæc eisdem adaptat : « Quæ profecto festivitas, ait, sicut B. Maria incomparabilis est virginibus cæteris, ita incomparabilis est omnium sanctorum festivitas; et admiranda est etiam angelicis virtutibus. Propter quod ex persona supernorum civium, in ejus ascensione admirans Spiritus Sanctus ait in Canticis : Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatis? Et bene quasi virgula fumi, quia gracilis et delicata, quia divinis extenuata disciplinis, et conprenta intus in holocaustum incendio pii amoris, et desiderio charitatis. Ut virgula, inquit, fumi ex aromatis, nimirum, quia multis repleta est virtutum odoribus, manans ex ea fragrant suavisissimus odor, etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem Dei genitrix de deserto præsentis sæculi virga de radice Jesse olim exorta; quæ mirantur electorum animæ præ gaudio quemdam esset, quæ etiam meritorum virtutibus angelorum vinceret dignitatem. »

Adverte hæc epistolam non esse S. Hieronymi; nonnulli putant esse Sophronii Bapontis, tom. I, anno Christi 48, cap. x, asserit neutrum esse; præsertim quia scripta videtur post tempora Nestorii, quia dubitat auctor an B. Virgo tam corpore quam anima in cælum sit assumpta, cum id ipsum certum sit.

Denique omnia jam dicta præ omnibus attribue sacratissime humanitati Christi; hæc enim prima et primaria est sponsa Verbi, uti dixi in *Proemio*, cap. II.

VERS. 7. EN LECTULUM SALOMONIS SEXAGINTA FORTES AMBIUNT EX FORTISSIMIS ISRAEL.

Hebræa, ecce lectulus ipseus, qui est Salomonis (id est, ecce lectulus Salomonis, ut vertunt Noster, septuaginta, Chaldaeus et cæteri; ad significandam magnitudinem et excellentiam Salomonis, additur *is ipseus qui est*), circum quem sexaginta robusti

ex robustis Israel; Septuaginta, sexaginta potentes ex potentibus Israel; Vatablus, sexaginta heros ex heribus Israel. Syrus verit, gigantes; hi enim fere fortissimi.

Alludit ad stipatores Salomonis, qui cum tam incidentem, quam domi vel in lecto quiescentem custodiebant, ut Pontificem et principes sipant custodiuntque Helvetii. Numerat eos sexaginta, vel quia tot precise erant, vel quia hic numerus perfectus est, ait Honorius: conflatur enim ex senario, qui ex tribus primis sui principii, scilicet ex unitate, binario et ternario, sive ex duplici ternario conficitur, atque ex denario, qui primus est numerus compositus: primi enim novem numeri singulis constant notis, v. g. 1, 2, 3, 4, etc., unde *digitis* appellatur; denarius vero, puta 10, componitur ex unitate et cyphra 0, atque denarius primus fons est ceterorum denariorum, puta 20, 30, 40, ac centenariorum 100, 200, 300, etc., ac millenariorum 1000, 2000, 3000, etc. Si enim decem duplices, triplices vel quadruplices, aliosque 20, 30, 40; sin decem multiplices per decem, efficitur 100, 200, 300; si per centum, efficitur mille, bis mille, ter mille.

Alludit rursus ad 30 fortes Davidis, qui recensentur II Reg. XXIII, 24 in fine, quos Salomon videtur duplicasse, ut essent 60. Unde Hierosolyma juxta regiam, vel ipsa regia erat domus fortium. Vide Adrichomium in *Descript. Jerusalem.*

Aben-Ezra censet hanc esse verba sponsi, qui arguat sponsam solum incidentem, q. d. Ego Salomon sponsus tuus incedo stipatus sexaginta fortibus, et tu audes sola per desertum incedere?

Luysius Legionensis ex adverso censet hanc esse verba sponsae, qui admirantibus suum incessum respondet, ut oculos suos a se in sponsum secum in lectulo, id est in lectica vectum convertant, ejusque magnificentiam et pompam sexaginta fortium admirentur.

Verum Patres et interpretes passim, hanc aeque ac illa versus precedentis, accipiunt ut dicta ab obviantibus sponsae, ejusque pulchritudinem et magnificentiam celebrantibus; aut certe, ut Theodoretus et Nyssenus, *hom. 6*, ab amicis sponsi, ut sponsam in sponsi amorem accendant, q. d. Tanta est tui pulchritudo, o sponsa, ut sponsus tuus Salomon pro te lectulo custodes adhibeat sexaginta fortibus, ne quis te ipsi eripiat, aut quo modo noceat vel affligat.

Chaldaeus per *lectulum* accipiens templum Salomonis, et per *fortes Israel* sacerdotes, sic iudicae verit: « Quando edificavit Salomon rex Israel domum Sanctuarii Domini in Jerusalem, dixit dominus in verbo suo: Quam pulchra est domus sanctuarii hanc, quae edificata est mihi per manus regis Salomonis filii David, et quam pulchri sunt sacerdotes in tempore, quo extendunt manus suas, et stant in suggestu suo, et benediciunt populo tuo. »

eos, sicut murus excelsus et fortis, et in ea praevalent et prosperantur omnes fortes Israel. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Theodoretus, Philo et alii fere ad unum omnes per *lectulum Salomonis* accipiunt Ecclesiam, praesertim gentium, in qua velut in lectulo Christus, qui est verus Salomon, id est rex pacificus, requiescit. Verum quia Ecclesia est sponsa, sponsa autem non est lectulus, sed quiescit in lecto, hinc magis apposite per *lectulam* accipias urbem, primo antiochenam, deinde romanam: Antiochia enim primo S. Petrus cathedram pontificiam collocavit, ibique resedit per septem annos; unde ibi primo fideles cognominati sunt *christiani*, *Act. xi, 26*. Sed post septem annos cathedram Antiochia transtulit Romam, ibique deinceps vivendo et moriendo firmiter collocavit, ac successores sibi constituit S. Clementem, S. Linum, S. Clemtum, etc. Sensus ergo est, q. d. Lectulus, id est locus, in quo resident et quiescent Christus et Ecclesia, olim fuit Antiochia, deinde Roma; ibi enim resedit S. Petrus romanus Pontifex, et ibi vicarius cum suis sacerdotibus et clericis, ibique moriendo cathedram pontificiam et apostolicam stabilivit, et firmiter collocavit: quare romana Ecclesia est mater, doctrix et nutritrix ceterarum omnium Ecclesiarum toto orbe diffusarum. Hae de causa Christus et *sexaginta fortes*, id est plurimos insignes pastores, doctores et sanctos eximios assignavit et assignat, qui ejus illibatam fidem tueantur et propugnent, ne quis in Ecclesia error irrepat; sicut primitivae Ecclesiae Antiochanae assignavit apostolos aliosque doctores, qui irrepentem errorem judaizantium de servandis legis mosaicae caeremoniis damnarunt et confutarunt, *Act. xv, 28*. Romanae vero Ecclesiae primitus dedit fortissimos pontifices, cardinales, sacerdotes et fideles, qui contra Neronem, Trajanum, Decium, Diocletianum, etc., pro Christi fide fortissime decertarunt per 300 annos, ac illius veritatem sanguine suo et martyrio obsignarunt. Nam S. Petrus, qui pontificatum Romae constituit, ejusque successoribus dixit et promisit Christus: « Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, et porte inferi non praevalent adversus eam, » *Matth. xvi, 18*. Hinc mirabile robur Christus dedit omnibus pene romanis pontificibus ad tuendam fidem et propugnandam Ecclesiam, ut liquet ex historiis ecclesiasticis et vitis pontificum; quare hi vocantur merito fortissimi Israel, quia sicut Jacob fortiter luctans cum angelo, illicque praevalens ab eo vocatus est Israel, id est dominans Deo, *Genes. xxxii, 28*: sic quisque pontifex sanctus roboratus a Christo dominatur tyrannis, inferno et demonibus, q. d.

binde per arduos preces et vota ipsi Deo, ut jure Israel vocari possit. Exemplo sint tot Leones et Gregorii, virtute invicti et sanctitate eximii. Hinc apte Roma dicitur quasi *petra*, id est *robur et fortitudo*; unde et Roma olim dicta est *Valentia*, teste Solino initio *Polyhist.* Hinc rursus Deus Ecclesiam constituit Romae, ut esset munition: quia urbs Romana, si situm spectes, est munitissima; una enim ex parte duplici mari infero et supero, altera Apenino et Alpibus quasi vallo pene insuperabili munitur et cingitur. Tutissima ergo sedes Ecclesiae est Roma, ut in ea quasi in lecto Christo tutante conquescat. Vide Bosium *De signis Ecclesiae*. Sicut igitur, vers. 1, Jerusalem et Ecclesiam hierosolymitanam vocavit *lectulam*, in quo quis sacroto Dormit (hunc enim significat hebraeam *מִשְׁכַּבְּ מִשְׁכַּב*), sic hic Antiochiam et antiochenam Ecclesiam ac romanam, inchoantem ac quasi adhuc infantem, vocat *lectulam*, id est *lectum extensum et expansum* (nam *נָשָׂא נָשָׂא* est *extendere, expandere*), quia sollicit in ea sedens Petrus fidem Christi et Ecclesiam per Asiam, Cappadociam, Bithyniam, Pontum, etc., extendit: Ecclesiam vero romanam jam ampliore et magnificentiam versus sequenti vocat *forectum*. Utramque autem sipant sexaginta fortes. Antiochia ergo prima, deinde Roma, id est Ecclesia romana est *lectulus*, in quo requiescit Christus et Ecclesia universalis omnium gentium, quia in ejus fide, doctrina et regimine secure obdormit. Et sic exponendi sunt Patres, ut S. Gregorius, Philo, S. Thomas, etc., cum per *lectulum* accipiunt Ecclesiam, ut scilicet intelligant primam et fundamentalem, puta antiochenam et romanam, quam tutantur fortissimi tum angeli, imo archangeli ejus custodes, tum pontifices, prelati et doctores, tum sancti caelestes et terrestres. Nunc audi Cassiodorus: « Lectulus Salomonis dicitur Ecclesia sancta, quia in illa sancti Dei sopitis tumultibus vitiosis, amplexu vani Pacifici delectantur. Sexaginta fortes sunt doctores, qui vel predicando Ecclesiam muniunt, vel contemplando ad supernam beatitudinem pervenire desiderant. Sexaginta numerus ex senario et denario constat: senarius vero perfectionem significat operis, quia sex diebus perfecti Deus opera sua: denarius vero remunerationem et premium, quod in fine electis dabitur; unde et hi qui in vineam venerunt, denarium accepisse dicuntur. Doctores autem isti qui Ecclesiam custodiunt, non modo fortes dicuntur, sed et fortissimis, ais Israel, omnium videlicet in Christo credentium, eumque diligentium, qui Israel, id est videns Deum, appellatur. »

Moraliter hic nota in pontificibus, prelati et principibus maxime requiri fortitudinem: primo, quia suas passiones doment, ne vel metu, vel amore, vel avaritia a recto abduci se siant: secundo, quia infidelibus et impiis generose resistent, juxta illud, *Eccli. vii, 6*: « Noli quiescere fieri iudex, nisi valeas virtute (virili animo et robore) »

irumpere iniquitates; tertio, qua errores et vicia populi severe castigent et evellant. Unde hoc consilium Iethro dedit Moysi, *Exod. xviii, 21*: « Provide de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constituat ex eis tribunos, et centuriones et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore. »

Symbolice, S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. v, per *lectulum* accipit Christum; in Christo enim Ecclesia et anima sancta conquescit: « Eo quod ei vera requies, inquit S. Ambrosius, in Christo debeatur; lectus enim sanctorum Christus est, in quo universorum fessa sacularibus preliis corda requiescunt. » Hinc *Apoc. xiv, 13* dicitur: « Beati mortui, qui in Domino moriuntur. » Et de S. Stephano dicitur, *Act. vii, 59*: « Obdormivit in Domino. » Et *Psal. lvi, 9*: « In pace in idipsum (id est in Domino, ait S. Augustinus) dormiam et requiescam. » Philo vero Carpathius per *lectulum* Christi intelligit seipsum, quod custodiebant fortes Israel, id est milites custodes sepulcri.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Lectulus Christi est mens sancta, quam proinde ambiunt et custodiunt sexaginta, id est plurimi fortes, tum angeli, ut Aponius; tum doctores et superiores, ut S. Gregorius et Cassiodorus; tum sancti, ut Philo; sancti, inquam, tam viventes, quam vita functi, id est beati in celo: hi enim suis meritis, verbis et exemplis tutantur nos. Maxime vero lectus Christi, qui est Salomon, id est, Rex pacificus, ait Beda, est anima quiesca segregata a mundi tumultibus, quae ad omnia passionum fluctibus tranquillitatem aeternae pacis imitatur. Sic et Philo Carpathus: « Quaecumque inquit, sponsa cor suum sollicitudinibus mundi purgat ac vacuat, divinoque amore replet, cubiculum sponso suo parat Christo Jesu, et cum eo ab omni perturbatione rerum humanarum requiescit. » Per *sexaginta fortes*, intelligit apostolos atque martyres.

Audi S. Gregorium: « Salomon, inquit, id est pacificus, est Christus, de quo scriptum est, *Ephes. ii, 13*: Iste est pax nostra, qui fecit utraque unum? Salomoni ergo lectulum facimus, quando a mundi sollicitudinibus omnino cessamus, dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, ei que ut nobiscum patet, cor ab omni terrae cupiditate mundamus. Denarius autem numerus, si per senarium numerum multiplicetur, nimirum sexaginta complentur. Per denarium itaque Decalogum legis accipimus; per senarium hoc totum tempus intelligimus, quod sex diebus operatoris volvi videmus. Per sexaginta igitur fortes, omnes perfectos, qui fuerant ante nos in Ecclesia, intelligimus; qui dum decem precepta

legis, quo spiritalis, eo fortius in sex diebus compleverunt, quasi sexagenarium numerum compleverunt. Hi lectulum Salomonis ambiunt, quia mentem sanctam, in qua Christus pausat, verbis et exemplis muniunt, quibus ab aditu mentis venientes hostes repellunt. » Vide eundem S. Gregorium, lib. VII *Moral.* cap. viii.

Allegorice, *lectulus* Christi, ait Aponius, fuit crux, in illa enim ipse moriens quievit et obdormivit, ac sponsam, id est animam sanctam in eadem secum quietem capere, et velut in lectulo conquiserere cupit, ut ipsi sit similis et confusus, id est ejusdem jugis socius: quis enim timeat crucem, cum in ea socium secum cubantem, sequi defendentem et confirmantem habeat Christum? Crux ergo est lectulus, ob unionem cum Christo, certamque confidentiam in ejus ope et gratia defixam. Denique in cruce et crucis amore est sanctorum requies. *Fortes*, qui eam custodiunt, sunt angeli, hi enim patientibus adsunt, ut eos corroborent, iuxta plura patiendi sitim suggerant. Hi sunt ex fortissimis Israel, id est ex primariis angelis, quos Deus martyribus et tribulatis submittit, ut ingentes eis vires, animosque ad timores, quos demon ingerit, et ad acerba quae superandum subministrant, sicut Tobias afflicto submisit Raphaelum, qui ait se esse unum e septem, qui stant ante Dominum, *Tob.* xii, 13. Sic Elisavus, circumdatus ab exercitu Syrorum, vidit castra angelorum venientium ad sui tutelam; unde ait famulo suo Gezi timore percusso: « Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis, » *IV Reg.* vi, 16. Sic Jacob, timens Esau cum armatis sibi obvium, vidit castra angelorum se propugnantium; unde locum vocatur *mahanaim*, id est castra Dei, *Genes.* xxxii, 2. Sic angeli pro Moysae et Hebraeis pugnaverunt contra Pharaonem et Aegyptios persequentes, eosque miserunt in Mari Rubro; unde Moyses Hebraeis trepidantibus ait: « Nolite timere: state, et videte magnalia Domini quae facturus est hodie, » *Exod.* xiv, 13. Hoc est quod canit David, *Psal.* xxxiii, 8: « Immittet (hebraice מַלְאָכָיו *malakiv*, id est castrametatur) angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos. »

Tropologice, *lectulus* in quo anima placide quiescit est oratio, ibi enim fruatur sponso suo, ac a se deficientis illi toto copulatur affecta; ibi vicissim Christus pacem, robur, gratiam, omnia quae dona animae immittit. Quocirca demones omni studio orantes interturbare, et ab oratione avocare conantur; sed angeli orantibus assistunt, qui vim demonum infringunt et orantes in oratione conservant, ut docet S. Nilus, tract. *De Oratione*, cap. xlv et seq., ac cap. lxxix et lxxxv.

Rursum *lectulus* Christi est charitas, quam defendunt fortes Israel, id est virtutes omnes, praesertim mortificatio, quae gladium admodum formidat, id est concupiscentias carnis resecat et jugulat. Rursum *sexaginta fortes* sunt fontis cogita-

tiones, quas qui sibi jugiter accersit, omnes malas cogitationes arceat, ac charitatem propugnat. Haec tres Anonymi apud Theodoretum: « Sexaginta fortes, aiunt, sunt cogitationes efficaces, quae divina virtute undique tenentur animam ad Dei quietem preparatam, adversus fallacias spirituum improborum: ratio enim quae quinque sensibus praestit, simul cum ipsis sensibus accepta, senarium conficit numerum. At cum divina praeccepta, quae sunt decem numero, is qui sensibus ratione imperat, perficit, numerum absolvit sexagenarium ex virtute vivens, ut dictum est. Ex fortissimis Israel hi sunt, omnino vere mentis Deum videntis notiones, ex quibus constant efficaces illic cogitationes ad bonum peragendum. »

Porro « non est mediocris animi fortitudo, ait S. Ambrosius lib. I *Offic.* cap. xxxix, quae inexplabili prelio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus anrem deferre nescit, nec (ut dicitur) *ave* dicat, pecuniam negligit, avaritiam fugit tanquam labem quamdam, quae virtutem effeminat: nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vincit, etc. Nec lezatur cupiditatibus, ne fangatur metu; quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia tanquam virtutis venena. »

Insuper, *lectulus* Christi est obedientia et obediens anima, qualis praee omnibus fuit B. Virginis; unde Aponius: « Salomon, inquit, *pacifex* interpretatur, Israel mente videns Deum. Et quis alius pacifex nisi Christus? Ille sibi lectum fabricavit in Virgine Maria, quia etiam super animam sibi obedientem requiescere comprobatur. *Sexaginta* vero angelorum ministeria demonstrantur, de quibus dicitur: Tunc reliquit cum diabolo, et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei, *Matth.* iv, 11: quod per singulos sensus corporeos, visus, auditus, odoratus, gustus, tactusque quinque duodecim (hoc est sacro sexaginta numero) in ea gloriosa mysteria implentur. *Fortissimi* vero, quod dixit, ostendit plus sanctos posse quam demones. *Tenentes gladios* praecceptum eos ejusdem creatoris semper tenere edocuit. *Ad bella doctissimos*, ait, quo per sanctitatis bonum amplius doctores posse demonum providere malorum insidias ob custodiam animarum, quam illos nocendi artes excogitare, monstrat. *Ex fortissimis Israel*, quod ostendit ministeria ista de illo exercitu esse, qui semper faciem Patris vident in caelis. Et quod ait, *uniuscujusqueensis super femur*, edocuit angelos sanctos contra singulos principes vitiorum, qui supradictos obsident sensus spiritualibus armis accinctos propter insidias eorum nocturnas et occultas. » Ex quibus liquet Aponium per *fortes Israel*, qui animam custodiunt, accipere sanctos, tum angelos, tum doctores.

Symbolice, *lectulus* Christi est sacra Scriptura, ait Theodoretus, in qua Deus cum anima mysti-

cum innotuit, ubi enim, loquit, doctrine divinae semina suscipiens concipit et parturit pia desideria, quae tandem parit et in opus confert: qui enim devote sacram Scripturam legunt, sentiunt sibi per eam aspirari boni laeque sanctosque impulsus, ut terrena fastidiant et ad caelestia toto corde anhelent. Hunc lectum oppugnant heretici, sed tutantur eum fortes Israel, puta doctores scientia, et sancti virtute praestantes, qui gladio verbi Dei illos profligant.

Anagogice, Beda: *Lectulus* anime, ait, beate, est caelestis gloria et beatitudo, in qua felicissime quiescit et quiescit in omnem aeternitatem: ita Nyssenus, *hom.* 6, et ex ea Psellus ac Richardus de S. Victore, qui addit: « *Fortissimi ex Israel*, id est ex his qui Deum mente contemplantur et quierunt, et quorum ferventiora fuerunt desideria spiritalia, hunc lectulum ambiunt: vehementibus enim desideris accensi undique circumvent et aditum quaerunt, ut quietem hanc degustent et ad illam aliquoties intrent; licetque est eorum ambitus, et circa lectum hunc desiderii cursus. » Psellus vero: *Sexaginta fortes Israel*, inquit, ambiunt lectulum, id est gloriam Christi, hoc est, sancti quiete, qui vere ex Israel sunt, et videre valent Deum: hi vero dicuntur *sexaginta*, quia israeliticus populus dividitur in duodecim tribus et partes; cum autem unicuique parti eorum, quae unum faciunt Israel, quinque assignentur fortes, quinque nimirum sensus armati ad praecium per mortificationem et temperantiam, tunc plane apparet esse *sexaginta fortissimos* ex uno Israel. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Lectulus, in quo Christus Christique deitas humanitatem sibi desponsans, novem mensibus requievit, est uterus B. Virginis, ita Aponius: sic et sinus B. Virginis Christi fuit lectulus, in quo ipse jam natus infans saepe quievit, et placide dormivit; quem proinde stipabant *sexaginta fortes*, id est angeli plurimi Christum Deum suum adorantes et matrem ejus venerantes, ac utrumque contra demonum, Herodis, scribarum, etc., insidias tutantes et custodientes. Rupertus vero per *sexaginta fortes* accipit sexaginta patriarchas et duces, qui Israel em ex quo nata est B. Virgo et Christus, contra hostes quoslibet propugnantes, quos ipse sigillatim enumerat.

Huc facit illud, *Psal.* xvii, 6: « In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo; » et illud, *Eccl.* xvii, 41: « In omnibus requium quavis, et in hereditate Domini morabor. Tunc praecipit, et dixit Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. »

VERS. 8. OMNES TENENTES GLADIOS, ET AD BELLA DOCTISSIMI: UNUSCUIQUE ENNIS SUPER FEMUR SUUM PROPTER TIMORES NOCTURNOS.

OMNES TENENTES GLADIOS, ET AD BELLA DOCTISSIMI: UNUSCUIQUE ENNIS SUPER FEMUR SUUM PROPTER TIMORES (Arabicus, *horrores*) NOCTURNOS. — *Sexaginta, omnes tenentes gladium, docti bellum, vir romphata ejus super femur ejus, a pavore in noctibus: legerunt* וְיָרֵךְ *acehe*, id est tenentes, apprehendentes: jam aliis punctis legunt וְיָרֵךְ *acehe*, id est apprehensum gladio, g. d. Ita arete et scite tenent stringuntque gladium, ut ab eo apprehensi videantur; unde Vatablus, qui universi opti sunt gladio et bello assuefacti, quisque habens ad femur suum gladium ob metum, qui in noctibus oritur. Porro Chaldaei verit, et paraphrasticae sic explicat de sacerdotibus legis veteris: « Porro sacerdotes et levites, et omnes tribus Israel universi apprehendant verba legis, quae comparantur gladio, et ponderant et agitant ea sicut fortes docti in bello, et super unoquoque eorum signata est circumcisio in carne ipsorum, sicut signata fuit in carne Abrahae, et praevaleat, et confortantur in ea sicut fortis, qui accinctus est gladio super femur suum, et ideo non fiment a spiritibus noctivis et demonibus, qui ambulant in nocte. » Exaggerat fortitudinem sexaginta fortium, qui ambiunt lectulum Salomonis, dicendo quod sint accincti gladiis, optimeque digladiari et praeritari sciunt, utpote longo bellandi usu in armis exercitati, g. d. Ut sponsus et sponsa in lectulo saepe quiescant, exultant circa eum continue sexaginta fortes bellatores gladiis armati, ut ad minimum hostium metum vel motum, imo ad quemlibet strepitum, qui nocte facile exoritur, eos ribant et stringant. Gladius, quo angeli Ecclesiam tutantur, est eorum mira vis et fortitudo; unde Aponius: « Edocuit, ait, angelos sanctos contra singulos principes vitiorum, qui supradictos obsident sensus, spiritualibus armis accinctos et occultas. » Gladius, quo apostoli virique apostolici, pontifices et doctores tutant lectulum Christi, id est Ecclesiam romanam, est verbum Dei, ait Paulus, *Hebr.* iv, 12: « Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti, et perungens usque ad divisionem animae et spiritus, » etc., ut idem ait, *Ephes.* vi, 12. Hoc ergo dispellunt timores nocturnos, quos in nocte, id est in tenebris infidelitatis, ignorantiae et impietatis excitant haeretici rudesque christiani et impij, qui maxime episcopi et praedicti Ecclesiae insidiantur: his enim devictis, facile fideles caeteros superant, ita Cassiodorus, Philo, Justus, et S. Gregorius, lib. X *Moral.* cap. ii et iv, quem audi: « *Nocturni*, ait, timores sunt insidiae tentationum occultae, ennis vero super femur est custodia vigilans animi illecebram premens. Ne ergo occulta et repentina tentatio subrepat, necesse

est ut femur nostrum superpositus custodiae ensis premat: sancti enim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sicut de tentatione suspecti, quippe quibus dicitur *Psalm. II, 11*: *Servite Domino in timore: et exsultate ei cum tremore, ut de spe exsultatio, et de suspicion nascatur tremor.*

Tropologic, *gladius super femur* est *primo*, mortificatio et continentia, sive pudicitia, quae resecat motus carnis et libidinis, quae residet in lumbis inter femora: quocirca significat episcopos et pastores utraque pollicere debere. Unde S. Ambrosius, lib. X in *Luc. cap. XXII*: «Est gladius passionis, ait, ut exuas corpus, et immolate carnis exuviis ematur tibi sacra corona martyrii;» et S. Gregorius: «Quid, inquit, per *ensem* nisi rigorem conversationis, et quid per *femur* nisi carnis appetitum accipimus? electi ergo quique, qui iam ad perfectionem vite proceverunt, semper *ensem* super femur suum ferunt, quia rigore conversationis appetitum carnis assidue frangunt, ne hostis, quem in nocte hujus mundi timent, repente veniens mollem aditum inveniat, et per voluptatis molliem eo facilius, quo voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducatur.» Vide eundem, lib. III *Pastor. cap. XXXIII*. Idem, lib. XIX *Moral. cap. XXIX*: «Non dicitur, inquit, *omnes habentes, sed tenentes gladios*, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere: habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundum illud vivere negligit; et doctus esse ad bella jam non valet, qui spiritali, quem habet gladium, minime exercet: nam resistere tentationibus non sufficit.» Denique S. Hieronymus, tom. III, *epist. 140 ad Principian*: «Istum, inquit, arbitror te locum optime intelligere, et accinctam Christi gladio militare. Ut autem scias semper virginitatem gladium habere pudicitiae, per quem truncat opera carnis, et superat voluptates, gentilis quoque error deas virgines finxit armatas. Accinxit et Petrus lumbos suos, et ardentem lucernam habuit in manibus suis.» Unde concludens de Christo hoc subjicit: «Gloria ergo et decore suo, sive specie et pulchritudine divinitatis suae opera mortificans, et natus ex virgine futuris virginibus virginitatis princeps fuit.»

Insuper, *secundo*, gladius est oratio quae fugantur timores nocturni, quos per tribulationes, scrupulos, angores, pressuras fidelibus immittit demon; unde Jeremias, *Thren. II, 19*: «Consurge, ait, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.»

Tertio, gladius fidelium est amor Dei; unde Richardus de S. Victore: «Super *femur*, ait, delectationum, sive voluptatum carnalium habent *gladium* amoris propter timores nocturnos, id est propter oculos peccandi lapsus: quia si non amant, propter cœcietatem et ignorantiam in multis delinquant: amor enim notitiam generat et peccata odere caveas quem amas.»

Symbolice, *Psellus per gladium accipit signum crucis*; hoc enim percellitur et fugatur diabolus, sicut gladio fugantur hostes.

Denique Rupertus hæc applicans B. Virgini, per *fortes Israel* accipit Davidem, Josue, Judam Machabeum et ceteros principes, qui Israellem fortissime defenderunt et propugnaverunt. Causam subdit, videlicet: «Quia radicem sive arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primum beati seminis reprobis facta fuerat, diabolus per barbaricos gentium vel regum impiorum gladios excidere, atque exstirpare volebat; unde sacra historie plene sunt. Idcirco tempus belli tunc erat, idcirco materialibus gladiis tunc opus erat, ut defensaretur genus Abrahæ, ut defensaretur radix Jesse, defensaretur, inquam, et propugnaretur genus et radix David, donec tu, B. Virgo, nascereris, lectulus, ut jam dictum est, veri Salomonis.»

Moraliter, nota *ad bella doctissimi*, significat enim prelatos Ecclesie debere esse in sapientia, prudentia, omnique virtute, qua cum hæreticis, daemonibus et vitis conflagant, non tyrones, sed exercitatos et perfectos; unde S. Cyprianus, lib. IV, *epist. 2 ad Antonianum*, laudat S. Cornelium pontificem, quod gradatim per singulos ordinum gradus ad apicem pontificatus conscenderit: «Non, inquit, ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum sepe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.» Hac de causa Concilium Tridentinum, sess. XXIII, *cap. XI*, sancit ut clericis ordines per temporum interstitia conferantur: «Ut eo accuratius, inquit, quantum sit hujus disciplinae pondus, possint edoceri, ac in unoquoque manere, juxta præscriptum episcopi, se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesie, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vite maritum, et doctrina major accrescat; quod et honorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior quam antea corporis Christi communio maxime comprobabunt.»

Quocirca S. Gregorius, lib. IV, *epist. 33*, gravior hac de re admonet Childebertum regem Francorum, et transiit subitum vitium castigat: «Pervenit, inquit, ad nos oebuntibus episcopis quosdam ex laicis tonsurari, atque ad episcopatum præcipiti saltu conscendere. Et qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur. Et quoniam quod possit docere non didicit, sacerdotium tantummodo gerit in nomine: nam laicus in sermone pristino perseverat et opere. Quomodo ergo pro aliorum peccatis intercessurus est, qui sua primitus non delevit? Talis enim pastor non munit gregem, sed decipit, quia dum contradicente verecundia non potest aliis hoc, quod ipse

non facit, suadere, quid est aliud, nisi ut plebs dominica predonibus depopulanda remaneat, et inde sumat interitum, unde salutiferæ protectionis magnum debuit habere subsidium? Hoc autem quam pravum sit et perversum demonstrat exemplo militari: «Certum namque est, non vos ante exercitum ducem præponere, nisi vobis labor, ejusque fides probata constiterit, nisi cum antea vite virtus et sollicitudo aptum esse demonstraverit. Si vero non aliis nisi hujusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum ex istius rei consideratione, seu comparatione bene colligitur. Sed verecundum nobis est, et dicere pudet, quia ducatum sibi sacerdoles arripunt, qui exordium religiose militiæ non viderunt.»

VERS. 9 ET 10. FERULUM FECIT SIBI REX SALOMON DE LIGNIS LIBANI: COLUMNAS EJUS FECIT ARGENTEA, RECLINATORUM AUREUM, ASCENSUM PURPUREUM: MEDIA CHARITATE CONSTRAVIT PROPTER FILIAS JERUSALEM.

Chaldaeus per *ferulum* accipit templum Salomonis, quod fuit typus Ecclesie: sic enim vertit: «Templum sanctuarii edificavit sibi rex Salomon de lignis cedrinis, et arcuthinis, et pinis quæ adducuntur de Libano; et operuit illud auro purissimo. Et postquam consummavit illud, posuit in medio ejus arcam testimonii quæ erat columna sæculi; et in medio ejus erant due tabule lapideæ, quæ repositi ibi Moyses in Horeb, quæ erant pretiosiores argento purgato, et auro optimo, et extendit et obumbravit super eam velum hyacinthinum et purpureum.»

Pro *ferulum* hebraice est אפרון *appirion*, quod Septuaginta voce consona reddunt ἄσπερον vel ἄσπερον, id est *gestare*: sic *ferulum* a *ferendo* dicitur; *ferulum* ergo est gestarium, quo persona aliqua aut bajulis succollantibus fertur et portatur, aut equis mulisve vehitur. *Appirion* hebraei vertunt *forum*, sive *lectulum cœnalem*, in quo sponsus et sponsa commorantur; ita dicit voluit a *foecunditate*, quod in eo proles generentur: פרה *para* enim est *fructificare*; unde *appirion* est *lectulus fructificans*. Hinc codices Septuaginta Vaticani et S. Ambrosius, lib. III *de Virgini*, legunt, *lectum fecit sibi rex Salomon*; R. David vertit, *lectum quo deferantur sponsa*; R. Salomon, *thalammum honorificum*; Syrus, *thronum*; Arabicus, *adificium*. Quare hic per *lectum* accipit lecti vehiculum, sive *lecticam*, autem Laysius Legionensis, Sanchez et alii, in qua pulvinar molle instar lecti sternitur, quæ et molliem habet lecti, et simul throni majestatem, ait Genebrardus. Hoc enim significat *appirion*, id est *ferulum*: *ferulum* enim tria significat: *primo*, gestatorum vehiculum, sive *lecticam*; *secundo*, currum et thronum triumphalem, uti hic accipit Nyseus. *Tercio*, odoratus græcique cæsteri; *tertio*, gestamen ad pompam compositum. Tria hæc hinc loco apposita sunt, ac *ferulum* hoc tria hæc,

id est trium horum officia, in se complexum esse videtur. Porro nonnulli, ut Sanchez, Gisleirius, lectum de quo vers. 7, censent esse *ferulum*; melius alii *lectum*, in quo noctu cubat sponsus, sexaginta fortibus stipatus *propter timores nocturnos*, distinguunt a *ferulo*, quo per diem ad pompam vehebatur: lectus enim spectat ad nocturnam quietem, *ferulum* ad diurnam pompam. Salomon inquit, sicut versu precedenti explicuit *lectulum* cubilis sui domestici ad quietem nocturnam: sic hic explicat *lecticam* *appirion* sive *currum triumphalem*, quo in die *vehatur* per urbem, suamque magnificentiam et gloriam populo ostentabat.

Minus recte ergo Aben-Ezra *appirion* interpretatur *palatium magnificentum*; et alii (quibus favent S. Gregorius, Rupertus et Richardus de S. Victore) *ferulum* quo dapes mensæ inferuntur: nam hebraicum *appirion*, græce ἄσπερον, latine *ferulum* proprie est gestamen, quo pompa fieri solet; unde Suetonius in *Vita Caesaris*: «Ponlice triumpho, inquit, inter pompæ ferula trium verborum prætulit titulum: *Veni, vidi, vici*:» hoc est inter pompæ triumphalis gestamina, quo nomine continentur triola, spolia hostium, coronæ, machinæ, et cætera, que in pompâ triumphali ferri solent; sicut Titus in triumpho de Jerusalem et Judæis devictis, circumtulit candelabrum aureum, septem aureis calamis distinctum, uti Romæ in *Arca Tith* expressum cernimus. Et Livius, lib. I: «Ipse, ait, cum verbis viri magnificus, tum sanctorum ostentator haud minor spolia ducis hostium cæsi suspensa fabricato ad id apte *ferulo* *generis*, in Capitolium ascendit.» Hinc vocantur *ferula sacrorum*, in quibus deorum simulacra, vel sanctorum imagines, ac præsertim S. Eucharistia, magnifice gestantur et circumferuntur.

Pro *reclinatorum* hebraice est רפידה *rephida*, quod Syrus, Vatablus et alii vertunt *stratum* vel *pavimentum*, melius Noster *reclinatorum*, et Septuaginta ἀνάκλιτον, id est *acclinatorium*, puta posterior pars in lectica, vel curru, ubi dorso suo acclinat sponsus et sponsa decore et placide recombunt.

Pro *ascensum* hebraice est מרחב *merchab*, id est *vehiculum*, sella, quadriga: Septuaginta et Noster hic vertunt *ascensum*, sed, *Levit. cap. XV, vers. 9*, vertunt *stragulum*, ut, *Itac. cap. III, 7, equitatum*. Unde primo, nonnulli, ut S. Gregorius, Pseudo, Hieronymus per *merchab*, sive *ascensum*, accipiunt gradum per quos ad *ferulum* sive *vehiculum* ascenditur; atque per eos purpureos censent mystice significari passiones et martyria, sive labores et sanguinem, quibus ad æternam gloriam fit *ascensum*. *Secundo*, Genebrardus, Sanchez et alii accipiunt vehiculi integumentum, sive coelum, quod supra columnas argenteas ascendit, sive extensum est; unde Syrus et Arabicus vertunt, *integumentum*, vel *velamen purpureum*: sic Theocritus, *idyll. 13*, Arsinoes *ferulum* ejusque velum describens

« Supraque tapetes purpurei. » Tertio, proprie per *ascensum* accipias sellam sive sedem, in quam ascendebat et sedebat sponsus et sponsa : hæc enim proprie vocatur *mercab*, et hæc solet esse curia : purpura enim mollis mollem præbet sessionem, atque ipsa est vestis, stratumque regum et principum. Sensus ergo grammaticalis est, *q. d.* Ferculum, id est lecticam speciosam, sive currum magnificum cum pompa sibi et sponsæ suæ fecit Salomon, cujus materia erant cedri Libani, latera ornabant columnæ argenteæ, reclinatorium erat ex auro, sella ex purpura.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Ferculum significat Ecclesiam romanam jam ampliam et magnificam, cæterisque Ecclesiis toto orbe sparsis per romanum Pontificem presidentem, et instar Salomonis dominantem. Sicut enim vers. 4, Ecclesiam in Jerusalem et Judea conclusam, et quasi dormientem vocavit *mischab*, id est *lectulum*, deinde vers. 7, Ecclesiam Antiochie ex Judea et gentibus collectam, ac romanam sub S. Petro Romæ nascentem, et in tenobris infidelitatis latentem vocavit *מִטָּה מִלְּטָה*, id est *lectum sese extendentem*, et expandentem in vicinas gentes, sed noctu, id est secreto et clandestino, « propter timorem nocturnorum Judæorum et gentium eam persequentium : sic hic Ecclesiam romanam jam clarè quasi lucentem et splendentem, imò presidentem, ac de infidelitate et tyrannis triumphantem vocat *ferculum*, ob ejus magnitudinem et magnificentiam, quam maxime adeptæ est sub temporibus Decii et Diocletiani per martyria, sanctitatem, et miracula tot illustrium pontificum, cardinalium et fidelium, ut S. Cornelii, Sixti, Urbani, Marcelli, Laurentii, Sebastiani, Cæciliæ, Agnellis, etc., perque conversionem tot romanorum senatorum et principum, ac tandem ipsius Constantii Magni, qui primus christianus imperator Romam totam reddidit christianam, atque in ea Basilicæ regias, quales sunt Lateranensis, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Crucis, etc., quasi regia ferrea exadificavit : quin et illi quasi totum orbem subiecit, dum cum suo exemplo et jussu christianum officit.

Ferculum etiam hinc potest gestamen magnificentium, quo romanus Pontifex in *Festo Corporis Christi* bajulorum humeris vectus ab omnibus cardinalibus, episcopis, prelati, totoque clero et populo stipatus, solemnibus supplicatione sacram Eucharistiam circumfert. Hic enim honor non tam Pontifici, quam Christo, cujus Pontifex est vicarius, quemque in Eucharistia circumfert, et populo venerandum adorandumque proponit, tribuitur.

Hoc ergo ferculo depingitur magnificentia Ecclesiæ romanæ, simul quoque voce *ferculi* innui-

tur Cathedralam pontificiam et Ecclesiam romanam non esse alligatam urbi Romæ, sed mobilem esse, ac instar ferculi posse alio transferri, ut ante ducentos annos translata est Avenionem, ibique hæsit per 60 annos, atque sub finem mundi cum Roma ad gentilitium revertens expellet Pontificem, is tunc alio sedem eorumque fidelium suorum transferet, uti dixi in *Apocal.* cap. xviii. Cathedrala ergo et Ecclesia romana est ferculum, in quo in suo vicario Pontifex romano residet Christus : unde factum dicitur ex cedris Libani, id est firmissimum et incorruptibile : cedrus enim non sentit cariem, et « cedrum commendat æternitas, » ait Plinius. Hinc cum in Cathedrala constantinopolitana, alexandrina, ant ocheana sederint episcopi hæretici, qui fidem et Ecclesiam corruperunt, ut Nestorius, Eutyches, Petrus Gnaphorus, Macedonius, etc., in Cathedrala tamen romana a Christo hucusque per mille sexcentos annos nullus sedit pontifex hæreticus, Christo ita providente ad libitatem Ecclesiæ fidem.

Columnæ argenteæ notant doctores et prelatos, presertim cardinales, qui quasi cardines et columnæ sedem et Ecclesiam romanam suffulcunt aque ac orant, dum candore sapientiæ æque ac puritate vite instar argenti effulgent, verboque et exemplo per urbem et orbem resonant.

Reclinatorium aureum est fidelis piusque Romanorum populus auro, id est aurea pietate et religione conspicuus, in qua suavitè quiescit et reclinat se Christus : mira enim est populi romani ad pietatem et devotionem propensio. Ego sane nullam gentem magis ad religionis officia proclivem vidi. Unde vix est dies per annum, in quo Romæ alicubi non agatur solemne festum alicujus sancti cum amplis indulgentiis, ornamentis, musicorum concentu, magnoque populi concursu.

Ascensus id est sella purpurea, ait Justus Origelianus est ingens et quasi immensa multitudo (numerat Bozius trecenta milia) martyrum fortissimorum, qui Romæ pro fide et Ecclesia, a S. Petro usque ad Constantinum, sanguinem suum profuderunt, in qua jucundissime in sede senatorum et filiorum suorum (Christus enim est pater et princeps martyrum) reumbit Christus. Unde et B. Virgo Christi mater Romæ locum sibi delegit inter martyres, cum sub Liberio Pontifice Joanni Patrio apparetur jussit sibi in Exquilis basilicam, que hodie a magnificentia Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatur, exadificari : in Exquilis enim erat carnificina martyrum ; unde juxta eas erat Usus pileatus, ubi plurimos martyrum, vel occisos, vel sepultos in *Martyrologio* legitimus, atque in hujus rei memoriam ibidem ecclesia in honorem S. Bibiane olim edificata, nunc ab Urbano VIII, belle restaurata, visitur. Si per ascensum malis accipere velim, sive oculum ferculi, vel currum triumphalem Christi, optime hoc representat martyres, qui suo sanguine Romam et romanam Ecclesiam velant, obtegunt et ornant,

atque de tyrannis infidelibus triumphantes gloriose in cælum ascenderunt, indeque Ecclesiam romanam tuentur et propugnant : ita S. Gregorius, Cassiodorus, Nyssenus, Philo, Iustus, Aponius, Beda et cæteri, qui per *ferculum* accipiunt Ecclesiam, puta primariam sive romanam, in qua velut in ferculo magnifico residet et triumphat Christus et Ecclesia universalis, cum sponsa Christi. Audi S. Gregorium : « Ligna Libani imputribilia esse assentunt ; ferculum ergo fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, quæ secundum præsentiam suæ gratiam, Christus sanctam Ecclesiam de sanctis in æternum permansuris construxit. Columnas ejus fecit argenteas, quia eidem Ecclesiæ predicatoribus dedit, qui et ut eam exemplis sustentarent, magna justitiæ rectitudine roboravit, et ut prædicationibus erudirent, nitore eloquii quasi splendore argenti decoravit. *Reclinatorium aureum* fecit, quia dum in cordibus perfectorum resplendit, eis divinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit. In qua contemplatione dum eis pulchritudinem cælestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro eis compositum, quia locum in quo refocillantes requiescunt, apposuit. Quod reclinatorium bene aureum esse dicitur, quia melior est sapientiæ cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, ei non possunt comparari. » Ascensum purpureum deinde sic interpretatur : « Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenit, multis tribulationibus ascendit, ita ut si necesse fuerit etiam sanguis effundi permittatur. Ideo *ascensus* recte *purpureus* esse dicitur : dum enim sancti quique martyres propter vitam æternam corpora sua ad supplicia tradiderunt, dum flagella, aculeos, ignes, gladios et alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium istud, ad beatam sollicit vitam per ascensum purpureum ascenderunt? »

Symbolice, ferculum divinitatis est humanitas Christi : hæc enim est quasi lectica in qua recumbit et quiescit deitas Verbi, ait Philo Carpathius ; utriusque vero ferculum est sacra Eucharistia, in qua tota Christi deitas et humanitas continetur, ac in supplicationibus circumfertur ad Christi gloriam, et fidelium devotionem, ut Deo gratias agant, ac magnificentia pericula propulsent, omninoque a Deo gratiam et benedictionem impetrent.

Ferculum hoc factum est de *lignis Libani*, id est de purissimo sanguine B. Virginis omnis corruptionis experit : Libanus enim hebraice idem est quod *candor*, et candida puritas. *Columnæ argenteæ* sunt Christi sapientiæ, eloquentiæ, vis dicendi et prædicandi, instar argenti sonora et effluax.

Reclinatorium aureum sunt septem dona Spiritus Sancti, quæ super Christum requiescisse docet Isaias, cap. xi, vers. 2, ac vicissim in his quasi reclinatorius requievit Christus.

Ascensus purpureus est sanguineus Christi su-

dor, passio, mors et martyrium : ita Beda, qui per hoc significari ait, quod nullus Ecclesiam ingreditur, nisi sacramentum dominice passionis imbutus.

Rursus *ferculum*, id est lectica, et quasi currus triumphalis Christi fuit crux, ait Aponius : hæc enim facta fuit ex lignis Libani imputribilibus ; unde etiamnum in suis reliquiis, quæ passim asservantur, perdurat. In cruce enim Christus de peccato, morte, diabolo et inferno triumphavit juxta illud Apostoli, *Coloss. ii. 14* : « Delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci : et expositis principatus, et potestates, traduxit confidentem, palam triumphans illos in semetipso. »

Columnæ crucis fuere humilitas et obedientia, juxta illud : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, » *Philipp. ii. 8*.

Reclinatorium aureum fuit invicta ejus patientia et magnanimitas, cui incumbens, omnes plagas, injurias, dolores placide tulit et superavit.

Ascensus purpureus fuit clamor purpureus, quæ Judæi eum quasi regem Judæorum per ludibrium vestiverunt, aut potius sanguinis totius effusio, quæ totum ejus corpus cruentavit et purpuravit, juxta illud, *Isai. lxxiii. 4* : « Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, etc. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus. »

MEDIA CHARITATE CONSTRAIT.

Hebræa, *medium ejus incensum charitate*, quia nimirum currus hic crucis Christi igneus est, et ardens charitate : nil enim nisi amorem in Deum et homines spirat, et ejaculatur ; unde hoc currus igneo ipse quasi verus Elias non tantum se, sed et electos suos vehit, imò rapit in cælum. Paulo aliter hæc cruce adaptat Aponius. Sic enim ait : « Ferculum crucis de lignis cedrinis factum, in cuius columnis argenteis verum, immaculatumque a contagio peccati corpus candelæ, et gloriose anime auri rutilat fulgor, in qua usque nunc Dei sermo reclinatorium habere probatur et corporeis regalique deitatis conusæ sensus. »

Tropologice, Nyssenus et alii per *columnas argenteas* accipiunt doctores, nitore cælestis eloqui refulgentes ; per *ascensum purpureum*, prelatos et principes, horum enim deus est purpura ; per *reclinatorium aureum*, mentem cui omnes animæ vires inniuntur et incubant. Cassiodorus vero et S. Gregorius hic per *reclinatorium aureum* accipiunt cælestem gloriam, in qua eterna sanctorum requies. Idem vero S. Gregorius, hom. 15 in *Ezech.*, accipit charitatem, in qua sancti in hæc vita conquiescunt : « Cum columnis argenteis, inquit, est reclinatorium aureum, quia per hoc, quod a sanctis predicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgorem charitatis intime, in qua re-